

ciendæ negotium Senatui permittere ; ab eo , quod illi vi-  
sum fuisset , non recessurum . Eadem quoque in Albano Duce  
in pacem propensio noscebatur . Cosmus quoque Florentiæ  
Dux , ut bello finis imponeretur , laborabat ; ob id officiis ,  
& auctoritate , quammaxime posset , in eam rem incumbere  
Senatum hortabatur , idque eo vehementius , quod nuper Se-  
narum urbe beneficiario jure a Philippo accepta ( quod Patri-  
bus per Petrum Pandulphinum legatum significaverat ) bel-  
lum a finibus procul arcere suis conducere rebus arbitra-  
tur .

Verum cuncta irrito conatu cesserant ; neque ab armis ,  
nisi necessitate impellente , descendendum fore plerique cen-  
sebant . Nam Guisius jam se Romam prope intulerat ; atque  
Albanus Dux , Marco Antonio Columna cum Hispanis , ac  
Germanis militibus ad Palianum oppugnandum præmisso ,  
cum reliquis copiis in Latium non sine totius urbis , ac Ro-  
mani populi metu , & terrore subsequebatur , ut prælio de-  
cernendum fama percrebresceret . Iisdem ferme diebus , cum  
ex lege , qua Romanis a Pontificibus regnum Neapolitanum  
Carolus Cæsar acceperat , divi Petri Apostoli festo die septem  
aureorum millia , atque albentem equam quotannis Philip-  
pum exhibere Ecclesiæ oporteret , oblatamque pensionem Pau-  
lus recipere noluisset , Franciscus Vargas , ne quidpiam de sui  
Regis jure , quantum in se esset , imminui sineret , Triultum ,  
Pauli legatum ( quem Venetiis id muneric obeuntem Cardi-  
nalatus honore insigniverat ) adire , Regisque nomine solvere  
statuit ; si Triultius renuisset , obnuntiatione usurus . Scriba  
itaque adsumpto , ad ædes Triultii accedit , quæ statuerat ex-  
equi conatur . Triultius in scribam verbis acriter invehitur ;  
minas intentat : ad Principem , & Patres profectus Vargæ fa-  
ctum detestatur ; plecti scribam flagitat . Vargas de probris ,  
ac contumeliis a Triultio in eundem scribam congestis con-  
queritur ; utrinque irarum æstu animi feruntur . Senatus rem  
omnem uti acciderat per Naugerium Pontifici deferendam  
curavit .

Dum hæc geruntur , Philippus bellum adversus Gallos in  
Morinis molitur . Philibertum Allobrogum Principem cum  
prævalido exercitu in hostium fines impetum facere jubet ,

qui

1557  
Senæ benefi-  
ciario jure  
a Philippo  
Florentiæ  
Duci con-  
cessæ .

Marcus  
Antonius  
Columna ad  
Palianum  
oppugnan-  
dum ab Al-  
bano Duce  
missus .

Albanus  
Dux exerci-  
tum in La-  
tium ducit .

Paulus  
Pont. obla-  
tam ab Hi-  
spanis de  
Neapole-  
no regno  
pensionem  
recipere re-  
cusat .

Philibertus  
Allobrogum  
Dux Sandi  
Quintini  
oppidum ag-  
reditur .